

§. 3. Pontificiorum quidem opiniones quod attinet, difficulter uno censu aestimari possunt, nec potius ac intimius cognosci, quam inspectis fundamentalibus illius Ecclesiae principiis, ex quibus, uti omnes eorum sententiae, haec inter primas profluit. Neque enim injuriam Pontificiae Ecclesiae inferemus, dicendo, eam non religionem pro fundamento habere sed super religionis specie unanimiter fundatam Rationem Status. Postquam enim superiorum temporum superstitione literarumque tum regnans barbaries adhuc dum tacite insidiosaeque latenti Pontificum fastui freno relaxarat, id ipsum sese intendere clarius clariusque prodidit Sacri Romani dictatores. Hoc ipso vero aetate tantum non diserte profitentur hanc intentionem suam, quam facile quisque cognoscet, qui Consilia, Actiones, Nuntiorum missiones, & similia, quae undique Statuum omnium tractatibus miscet Romana sedes, attentius oculo superstitionem exuto inspicit atque perpendit. In Politices Castra toti transituri essemus, si huic rei ulterius probanda nos accingeremus. Praesupponamus hoc universale Pontificiorum fundamentum, & quae inde dogmata hanc nostram quaestionem tangentia necessario profluant, videamus. *Regnat apud Pontificios Articulus de Capite Summo Ecclesiae visibili & infallibili, Pontifice Romano, a quo reliqui omnes non absq; maxima tyrannide dependent*; quod egregie notat Pl. Rev. Dn. Praeses, Patronus meus ad urnam devote colendus, venerandus, in Lib. de Interesse Religionum, Proth. §. 5. & ib. §. 14. concludit: *Hoc vero dum sit, Pontificiorum Religio evadit Statistica, quia ad Monarchiam unius Monachi sive Papae omnia dirigit.* Si hoc adeo fundamentum hujus Religionis consideramus, non potest non exinde sequi, (1.) quod S. Scripturam pro fundamento quidem suo profiteatur, ita tamen, ut qui de intimioribus Ecclesiastici Status non participant, necessario facultate eam scrutandi & explicandi privari debeant; (2.) quod sensus S. Scripturae a Traditionibus & S. Pontificis infallibilitate dependeat, cum dubium non sit, locus statui illi plus contrariari eam quam convenire; quod (3.) adeo Laici lectione S. Literarum penitus prohibendi sint; (4.) quod adversariis quovis modo obvi-

am